



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Qualia verba in Sacramentis requirantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur determinata verba?

20. **R**espondetur, In Sacramentis nouæ legis requiruntur determinata verba. Primò, Quia res sensibiles in Sacramentis sunt diuinitus determinatæ: ergo multò magis ipsa verba, quæ habent rationem formæ. Secundò, Quia ceremoniæ antiquæ erant diuinitus determinatæ, quæ tamen erant valdè imperfectæ: ergo multò magis nostra Sacramenta, quæ sunt primariæ ceremoniæ, quibus lex noua constat. Tertiò, Quia alioquin verba non essent de substantia Sacramenti: nam cum Deus sit Auctor Sacramentorū, si nullam formulam verborum instituit, non poterit ad rationem Sacramenti esse necessaria.

DVBIVM I.

Qualia verba in Sacramentis requirantur?

21. **C**aluinus lib. 4. Institut. cap. 16. in Sacramentorum administratione requirit quidem verbum, sed vult illud non esse rituale, sed concionatorium; neque esse partem Sacramenti, sed præuium Sacramento; nempe concionem illam quam Minister ante susceptionem Sacramenti præmittit, vt alter qui susceptorus est Sacramentum, credat diuinas promissiones sibi applicari, aut esse applicatas. Vnde reprehendit Ecclesiam, quòd in Sacramentis vtatur concepta quadam & solemniformula verborum: Quia inquit, hoc magicum est.

Verbum aliud Concionatoriū aliud Ceremoniale.
Catholici autem docent esse duplex Verbum, scilicet concionatorium seu doctrinale, de quo loquitur Caluinus, quo instruantur susceptorum Sacramentum; sicut Catechismus, & alia quæuis pia instructio ante Baptismum; & hoc verbum non habet certam formam: Et ceremoniale seu rituale, quod certâ formulâ constat, & non profertur ante Baptismum; sed in ipso actu quo adhibetur elementū: & hoc verbum est intrinsecum Sacramento, per quod ipsum elementum consecratur, ita vt sine eo sit profphanum.

Dicendum igitur, In Sacramentis nouæ legis non requiri Verbum concionatorium, sed rituale seu inuocatorium certâ formulâ constans, quo Sacramentum perficiatur.

Concionatorium non requiritur.
Prior Pars probatur, Quia sufficit, vt adulti Sacramentum susceptorum sint sufficienter instructi, generatim in rebus fidei, & speciatim in ijs quæ pertinent ad vsum & fructum Sacramenti percipiendi: ergo non est necessarium vt immediatè ante Sacramentum audiant concionem. Patet ex vsu totius Ecclesiæ Catholicæ. Secundò, Ad substantiam Sacramenti non requiritur vlla instructio aut fides in suscipiente; quamuis ad fructum in adultis fides sit necessaria tanquam dispositio: ergo nec concio antecedens. Confirmatur, quia alioqui infantes & stulti non baptizarentur verè. Similiter nec heretici verè baptizarent, cum eorum concio repugnet verbo Dei: nec verè baptizarentur; quia non habent fidem. Tertiò, Quia concio non requiritur secundum Caluinum, nisi vt generet fidem: atqui fieri potest, vt quis fir-

missam fidem habeat sine concione: quorsum ergo concio?

Alterâ Pars, Scilicet requiri verbum rituale seu inuocatorium. Sed Rituale

Probatur Primò, Ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, quæ semper in Sacramentis certâ verborum formulâ vsa est. Disputare autem contra id, quod vniuersalis Ecclesia facit, insolentissimæ insanix est; vt inquit D. August. epist. 118. Probatur Secundò, Ex Concilio Florentino, vbi singulorum Sacramentorum formulæ, vt à maioribus sunt acceptæ, præscribuntur. Nam vt Dionysius Areopagita cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia parte 3. ait, consecratoriæ inuocationes non debent scripto exponi, neque earum arcanum in publicum efferri, sed traditione conseruari. Tertiò, Probatur ex Scripturis. In particulari de Baptismo. Ex vsu Ecclesiæ.

Ex Florent.
Matt. 28. Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandauimus vobis: Hic aperte Dominus distinguit verbum rituale & inuocatorium à concione, & illud requirit in Baptismo. Patet hoc prius, quia dum dicit, Docete omnes gentes, indicat verbum concionis, cum autem ait, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, præcipit verbum rituale, sub quo conferendus Baptismus. Patet hoc Secundò, Quia Dominus præcipit hic duos actus, scilicet docere & Baptizare: sed illud In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non potest esse modus efficiens actum docendi, quasi diceret, Docete eos in nomine Patris & Filij &c. ergo debet coniungi cum Baptizantes, sicut ordo verborum postulat; vt sensus sit, Baptizantes eos in nomine Patris: ergo præcipit vt sub hac formula verborum detur baptismus; quæ formulâ manifestè significat inuocationem: vnde exprimitur Trinitas personarum, quæ sanctificat Baptismum, & illi vim regeneratiuam tribuit. Idem facile probari potest de Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctione, & Ordine. Sed de his suis locis. Postermò probatur & Patribus, quorum plurimos adfert Bellarminus. Cyprianus sermone de Baptismo; Verborum ait, solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministris attributa, visibile celebrant Sacramentum. D. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. Audit, inquit, Deus homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponit. Vbi manifestè Augustinus agit de verbo rituali, seu inuocatorio. Ex Script.

Ex Patribus.
Sed Obijcit Caluinus Augustinum tractatu 20. in Ioannem, vbi explicans hæc Domini verba, Tam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, querit cur non potius dixerit Dominus, Tam mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed dixerit, Mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis? Et, Respondet nempe August. quia & in aqua verbum mundat; deinde illud verbum, quod in aqua mundat, vocat sermonem Christi, & verbum fidei, de quo Apostolus ad Rom. 10. Hoc est verbum fidei quod predicamus. Atqui (subsumit Caluinus) sermo Christi & verbum fidei sunt verbum concionis & doctrinæ: ergo hoc est verbum, quod mundat in Baptismo, & vnde Baptismus habet efficaciam. Quod Confirmat, Quia ibidem dicit Augustinus hoc verbū mundare, non quia dicitur, sed quia creditur; sed verbum quod creditur

22. Obiectio Caluini ex Augustino.
A a a iij est vci

est verbum concionis: ergo concio est id, quod mediante fide, mundat in baptismo.

Solutur.

Respondeo, D. Augustinus loquitur in genere de verbo Christi, ut extendit se ad verbum doctrinale & rituale: vult enim probare omnem mundationem animæ, siue in Sacramento, siue extra, fieri per verbum Christi. Dupliciter enim verbum Christi mundat; Primò, Extra Sacramentum, cum prædicatur doctrina Christi, & ab audiente toto animo, scilicet intellectu & voluntate suscipitur: & sic sæpè mundatur adulti. Secundò, mundat verbum Christi in Sacramento, non quia dicitur, sed quia creditur; id est, non externo sono, sed virtute rei significatæ, quæ sola fide percipitur: Aliud enim in verbo est sonus transiens, aliud virtus manens, inquit Augustinus: & hoc est verbum rituale; quod verbum cum accedit ad elementum, fit etiam ipsum Sacramentum quasi quoddam visibile verbum, id est, fit visibilis fidei confessio. Vocat autem hoc verbum, verbum quod prædicamus; quia formula Baptismi continet breuiter totam doctrinam fidei: hæc enim tota reducitur ad mysterium Trinitatis, quæ expressè in illa formula inuocatur. Citat etiam Scripturam ad Rom. 10. & Actuum 15. & 1. Petri. 3. ut probet in genere verbum Christi habere vim mundandi, hoc enim ipsi propositum erat. Similiter illud Ioannis 15: *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis*, non restringit hic ad verbum concionis, sed generatim accipit.

Augustinus agnoscit verbum rituale

Quòd autem D. Augustinus non loquatur hæc solum de verbo concionis, sed etiam Rituali, patet Primò, Quia dicit hoc verbum accedere ad elementum, at verbum concionis non accedit, sed antecedit elementum; nam instructio debet præmitti: Secundò, Quia per hoc verbum dicitur Baptismus consecrari, & accipere vim mundandi: Tertiò, Quia per ipsum dicitur sanctificari infantem, etiam antequam possit credere; quorum neutrum conuenit concioni. Quòd etiam nolit dicere, verbum ideò mundare, quia à suscipiente creditur, patet; quia infans non potest credere, quem tamen dicit sanctificari. Neque etiam quia creditur à conferente Baptismus; quia lib. 3. de Baptismo, cap. 15. ait, *Si verbis Evangelicis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Marcion Baptismus consecrabat, integrum erat Sacramentum, licet eiusdem fides sub illis verbis aliud opinantis non esset integra*. Neque etiam, quia creditur ab offerentibus; ut expressè docet epist. 23. ad Bonifacium: vult ergo tantum dicere, verbum mundare in Baptismo, non quia dicitur, id est, non ratione externi soni, sed quia creditur, id est, ratione interne virtutis significatæ, quæ sola fide percipitur. Vnde subdit, *nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens*; quæ virtus nihil est aliud quam potentia Trinitatis seu virtus Spiritus sancti, ratione cuius, homo dicitur renasci ex aqua & Spiritu sancto.

Obiectio secunda rejicitur.

Obijctur Secundò, Nulla est conuentio Christi ad Belial, sed daemones & incantatores in omnibus magicis solet uti certo carmine & determinatis verbis: ergo in Christi institutis non oportet talibus uti.

Respondeo Primò, Cur ergo ipsi Caluinistæ vitimini? nã in formula vestra sic habetur: Infundat Minister aquam proferendo hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*.

Respondeo Secundò, Dæmonem imitari Chri-

stiana sacra in suis ritibus; quia & ipse Deus haberi vult. Docet hoc Tertullianus de Præscriptione hæreticorum; *Diabolus inquit, ipsas res Sacramentorum diuinorum in idolorum mysterijs imitatur; tingit & ipse quosdam, expiationem peccatorum de lauacro promittens, &c.*

Respondeo Tertiò, Horribile id esse blasphemiam. Aliud enim est virtutem habere ex pacto diuino, aliud ex diabolico. Quòd autem Christus talia verba potuerit instituire, patet Numerorum 5. Vbi Deus instituit aquam & verba, quibus dictis, adulteri moreretur, si aquam illam execratam biberent.

DVBIVM II.

Vtrum Res & verba in Sacramentis se habeant instar Materia & forma?

Respondeo habere aliquam Analogiam cum materia & forma. Vnde Concil. Florentinum in decreto Eugenij IV. & omnes Doctores scholastici rem sensibilem seu actionem vocant materiam, verba autem formam. Ratio est, Quia ficti materiæ secundum se est indeterminata ad quamvis speciem rerum, sed per formam determinatur ad hanc vel ad illam; ita aqua seu ablutio secundum se est indeterminata ad hoc vel illud significandum, ad hunc vel illum usum; accedente autem hac forma verborum, *In nomine Patris &c.* determinatur ad significandam animæ abluionem. Item sicut materia sine forma nullam vim habet, sed eam concipit per formam; ita aqua sine verbo nullam vim habet, sed accedente verbo consecratur, & virtutem mundandi concipit. Vnde D. Augustinus tractatu 80. in Ioannem *De trahis*, inquit, *verbum, quid est aqua, nisi aqua?*

Sed aduerte; Hanc formam esse extornam & partialem; & præter hanc esse aliam internam totalem & vltimam, respectu cuius quicquid est sensibile in Sacramento, siue res, siue verba, sunt materia. Hæc forma interna est significatio ipsius Sacramenti & virtus operatiua: significatio enim est in rebus & verbis, sed potissimum in verbis, & est quid spirituale; tum quia ex diuina institutione, tum quia res significata est spiritualis. Similiter virtus operatiua constituitur in rebus & in verbis, licet principaliter in verbis; & est quid spirituale, ex deputatione diuina proueniens. Itaque omne Sacramentum constituitur non solum ex materia & forma sensibili, sed etiam ex materia sensibili & forma intelligibili. Sicut homo non solum constat ex materia prima, & forma carnis, ossis, aliarum partium, sed etiam ex carne & ossibus tamquam materiâ, & anima rationali veluti ex forma. Externam illam formam, vocat Augustinus sonum transeuntem; internam & spiritalem, vocat virtutem permanentem. Idem insinuat Dominus Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, indicans compositionem ex sensibili & intelligibili in Sacramento.

Ex dictis etiam constat; Et si Sacramentum interdu habeat nomen ab altera sui parte, ut Baptismus ab ablutione; sola tamen vna pars non est Sacramentum, ut quidam volunt: sed Sacramentum intrinsecè includit vtrumque tanquam partem componentem (excepta Eucharistia, vbi verba sunt causa efficiens Sacramenti.) Quod patet Primò,

23

Forma Sacramenti alia externa, alia interna.

24

Sacramentum omnino, excepta Eucharistia, intrinsecè includit rem & verba.